

anni MDCLXXII. De iisdem legendus *Jacobus Cardinalis Papiensis*, Libro VI. Commentariorum. Addit ille: Non petiisse ex illo tempore Calicem Bohemos, non indulisse Synodum ultro, à Romano etiam Præsule tale quicquam nec postulatum esse, nec comprobatum. Ipsos etiam, qui ad omnem Catholicorum contentionem *Compactata* velut clypeum defensionis objicebant, illa eadem contempnissse verius, quam non servavisse. Etenim pueris passim & dementibus non de Pane tantum, sed de Calice ministrasse. Invitos quoque & non postulantes ad Calicem adegisse, Sacramenta Ecclesiæ, & sepulchra, publicòque honores iis, qui illum non vellent, per injuriam adimentes: De Mysterio etiam tam panis quam vini nll plebibus juxta conditum annuntiassse. Postremò nec Romanæ Sedis Institutis, à qua longè errabant, in cæteris assensisse. *Quorum omnium* (inquit) *si præstira ab illis fuisset fides, vix nunc post annum quadragesimum exorti mali ostenderentur vestigia: iis videlicet in renovata etate defunctis, quibus tantummodo, quòd usum jam haberent, Calix esset indultus.*

ARTICULUS II.

DE SECTA HOMINUM INTELLIGENTIÆ.

HÆC Secta Autores habuit *G. Guillelmum de Hildersmissen*, Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Sacerdotem & Concionatorem, & *Egidium Cantoris*, Laicum, Belgas. Asserebat *Egidius*, 1. Se esse Salvatorem hominum, qui per ipsum visuri Christum essent, sicut per Christum Patrem. 2. Diabolum, omnèque homines tandem salvandos fore. 3. Actus carnalis copulæ delectatione Paradisi vocabant homines spurcissimi, & sine peccato exerceri debebant. 4. Omnes actus nefarios ad divinam referebant voluntatem. 5. Tempus Veteris Legis, tempus fuisse Patris aiebant; tempus Novæ Legis Filio; tempus proximum Spiritui Sancto attributum; quod tempus *Elie* appellabant, quo reconciliabantur Scripturæ, ut quæ prius tanquam vera habebantur, jam refutarentur; sicuti & Catholice veritates, quæ consueverant prædicari, de paupertate, continentia, obedientia, quarum oppositum tempore Spiritus Sancti prædicandum esset. Aflatum Spiritus Sancti in rebus etiam inhonestis & nefariis jactabant. Orationes, Jejunia, Ecclesiæ præcepta, castitatem & continentiam summopere oderant, nullam esse in mundo virginem effluentem, præter unam, cui *Sapientie* nomen: Circa Purgatorium quoque & Infernum contraria Doctrinæ Ecclesiæ dogmata tradebant. *Guillelmus* præter hæc affirmabat; Quidquid agit homo illi non cedere ad salutem vel damnationem; quòd Passio Christi satisfaceret pro omnibus. 2b. Hominem exteriorem non maculare interiorem; 3. Deum esse ubique, in lapide, in membris hominis, in inferno, sicut in Sacramento Altaris. 4. Resurrectionem amplius sperandam non esse, quòd jam facta sit in Christo, cujus membra sumus, cum Caput sine membris non surrexerit. Hos, aliòsque errores ejuravit coram *Petro de Alliaco* Episcopo Cameracensi, & Priore FF. Prædicatorum Conventus *S. Quintini* in Picardia, Hæreticæ pravitatis Inquisitore, die XII. Junii, anno Christi MCCCXII. illòsque deinde Cameraci & Bruxellis publicè revocavit.

¶ Hunc errorem renovarunt Quicquid.

¶ Hunc errorem Quicquid adoptarunt.

ARTICULUS III.

DE ADAMITIS.

ANNO circiter MCCCXX. nefariam *Adamitarum* hæresim exfulcitavit *Pikardu* quidam nomine, qui ex Gallia Belgica, transmissò Rheno, per Germaniam in Bohemiam penetravit. Is præstigiis quibusdam fidem sibi concilians, brevi tempore non parvam mulierum, virorumque plebem ad se traxit, quos nudos incedere jubens, *Adamitas* vocavit: & occupatâ Insulâ quadam amne Lusincio cinctâ, Filium Dei se dixit, & *Adam* appellavit. Connubia eis promissive fuerunt: Nefas tamen ipsis injussu *Adam* mulierem cognoscere: sed ut quisque libidine incensus in aliquam exarlit, eam manu prehendit, & Sectæ Principem adiens: *In hanc*, inquit, *Spiritus meus concaluit*. Cui respondebat ille: *Ite, crescite, multiplicamini, & replete terram*. Aiebant quoque cæteros homines servos esse, se verò, & qui ex eis nascerentur, liberos. Ex iis quadraginta viri Insulâ exiere, & intrantes vicinas villas, evaginatis gladiis supra ducentos agrestes interfecerunt, quos diaboli filios asserebant. *Zischa* Dux Thaboritarum, quamvis sceleratus, scelus tamen exhorruit, ductoque in eos exercitu, & expugnatâ Insulâ, *Adamitas* omnes gladio delevit, duobus tantum reservatis, ex quibus gentis superstitionem cognosceret. Ista constant ex *Ænea Sylvio*, Cap. XLI. Historiæ Bohemicae.

II. Revixit rursus execranda illa hæresis decimo-sexto sæculo, Autore *Adamo Pastoris*, qui Christum insuper merum hominem professus, eum cum *Photino* negabat naturâ Deum esse. Matrimonium etiam quali per se malum damnabat. Fuere & alii Secta Anabaptistæ, qui quòd nuditatem *Adam* æmulari gestirent, *Adamitarum* nomen mutuati sunt. De his *Lindanus* Ruremondensis Episcopus, eo in Libro quem *Dubitantium* inscripsit, Dialogo II. *Tales*, inquit, *fanaticos vidit Anselodammis nostra: Hos loco honestissimo natos, & rebus lautis opulentissimos, vidit nudos discursitare nostra Hollandia anno MDXXXV. Horum quidam tam fure insani capitis, ut consensu arboribus, nudi caulestem panem frustra expectantes, in terram deciderint semineces.*

ARTICULUS IV.

DE ERRORE JOANNIS PARVI, & EJUS DAMNATIONE.

CUM *Joannes* Burgundiæ Dux *Ludovicum*, Ducem Aurelianensem *Caroli VI.* Christianissimi Regis Fratrem, Patruem suum, postquam in signum absolutissimæ cum ipso reconciliationis in Sacrificio Misæ Sacratissimum Domini nostri Jesu Christi Corpus unâ cum ipso percipisset die Dominica xx. Novembris, anno MCCCXVII. immani prodicione occidi curasset, immisissis in eum sicariis, die xxii. ejusdem mensis, & crimen confessus in Belgium aufugisset; *Joannes Parvus*, natione Normannus, Theologus Parisiensis (quem nonnulli Franciscanum, alii Dominicanum falsò ac perperam faciunt, cum secularum fuisset *Joannes juvenalis de Orsinis*, & alii Historici testentur) venalis homo, & ingenii ad assentationem fœdè projecti, parricidium horribilè impudentè defendendum suscepit, defuncti Principis manes crudeliter infectatus, quam fuerat corpus à sicariis confossum. Aurelianensem scilicet Ducem Regnum affectasse